

Codex Lib. d. vel Coll. m. sequentia

I O. B O D I N I A N D E G A V E N S I S,

DE
R E P V B L I C A L I B R I S E X,
L A T I N E A B A V T O R E R E D D I T I
M V L T O Q V A M A N T E A
L O C V P L E T I O R E S.

Cum indice copiosissimo.



P A R I S I I S,

Apud I A C O B U M D U P U Y S sub signo Samaritanæ.

M. D. LXXXVI.

*Cum Privilegiis Casaræ Mæstatis & Regis Christianissimi,
Serenissimæq; Angliæ Regina.*



IO. BODINVS IACOBO
DVVALLO DAMPETRÆ
COMITI, HANSÆ BARONI,
MONDRAVILLÆ DOMINO,

EQUESTRIS FRANCORVM ORDINIS
Collegæ, Manchildensibus ab Rege
Præfecto S. P. D.



VM annis superioribus sæuissima bellorum ciuiliū tem-
pestate iactati fuisset, qua multi naufragium, plures etiā
iacturam fecerant, plerique voraginibus immerſi, nonnulli
in lutus eiecti, quidam afflicti ad scopulos, alij alio abrepti,
pauci incolumes euaserant: me, quem

— — — — — tabula facer
Votiuæ paries indicat humida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo,

præterita pericula reputantem, & futura, quæ nunc impendere videmus, prospicientem
imperij nostri prænitere cepit, ac pudere gubernatorum, qui cum inter se conflictarentur
ut alius clauum torqueret, alius vela faceret, alius contraheret, tam factum sui nostrique
aduersariis otiose in portu ridentibus spectaculum præbuisſent. Itaque cum mearum co-
gitationum summam fecissem, animaduerti ea quæ tam multa in Republica gerenda pec-
cantur, ab huius artis ignoratione, velut ab errorum omnium fonte deriuari. Quæ me
causa impulit hoc quicquid est quod de Republica conceperam, meis popularibus postea-
quam à bellis paululum conquiescisſent, edere ac proponere ad intuentium: ut vel impo-
sterum hoc regale ciuitatis genus, quantum quidem fieri posset, ab interitu seruari: vel
si tam certum huic imperio, quod sua senectute propemodum extabuisse videtur, exitium
immineret, ut nulla iam ope, nullis hominum consiliis declinari posset, eos tamen qui supe-
rioribus cladibus supersuerant velut è specula admonerem, ne improuiso ciuitatis occasu
ac ruina penitus obruerentur. Interdum enim tanta vis calamitatum diuinæ ultionis
impetu erumpit, ut eos ipsos moderandarum ciuitatum principes, quos Deus præpotenti
manu perdere decreuit, omni consilio ac prudentia vacuos ac desertos esse, et in omne de-
decus præcipites ruere patiat, cuius rei exploratum est argumentum, quod illi tum ma-
ximè sanos se esse arbitrantur, cum in Republica gubernanda incurabili furore desipiant.
Sed quoniam diuina consilia mortalium sensibus abdita ac retrusa semper fuerunt, quæ
humana procuratione ac prudentia prouideri ac intelligi poterant, ea omni si iudicio inue-



IOANNIS BODINI DE
REPVBLICA LIBER PRIMVS.

B

Quis optimus sit Reipublica finis. CAP. I.

R

ESPUBLICA est familiarum rerumque inter ipsas communium summa potestate ac ratione moderata multitudo. Definitionem, ab iis qui de Republica scripserunt prætermittam, principio posuimus: quoniam artium tradendarum, ac rerum omnium agendarum extremum intueri prius oportet, quàm quid aliud differatur: deinde, comperto & explorato fine, aditus inuestigare, quibus eo perueniri possit.

Quis opt. definitio

C Est autem definitio nihil aliud, quàm rei propositæ finis, qui nisi firmo ac stabili fundamento nititur, quæcûque super extruas, vno ruitura sunt & eodem momento.

Plerisque tamen vsuuenit, vt, certis finibus propositis, eum quæ concupierunt rerum exitum non assequantur: vt neque is, qui scopo sibi ad feriendum proposito malè arcum intendit. sed si quis artem adhibuerit, & argutè conlineare volet, etiam si aliquatùm aberrauerit à scopo, propius tamen aberit, quàm ille: nec boni artificis laude carebit, si quæ optimus sagittarius facturus esset, ea ipse fecerit. At qui rerum agendarum finem ignorat, eius adipiscendi spes æqua est illi adempta, vt ei scopum
D feriendi, qui telum, incertus quò iaculetur, emittit. Finem igitur ac definitionis propositæ membra singula suis ponderibus exigamus. Primum Rempublicam diximus ratione moderatam esse oportere: quia Reipublicæ nomen sanctum est, vt ab ea latronum ac piratarum cæsus arceatur, quibus eum nulla contractuum fides, nulla iuris societas esse debet, sed summa distractio. Et quidem in omnibus bene ac prudenter constitutis ciuitatibus, seu de fide ac publica securitate seruanda, seu de fœderibus ineundis, seu de bello inferendo, seu de finibus imperij regendis, seu de controuersis principum inter ipsos dirimendis agatur, latrones ac piratæ ab omni iure sæciali procul summouentur. Iustos enim ac legitimos¹ hostes, qui respublicas suis quibusdâ legibus ac iure gētium communi moderantur, seiunxerunt ab istis, qui Rerum publicarum & ciuilibus societatis euerfionem moliuntur. Quamobrem si latronibus pactum

¹ I. hostes. de verb. signif.

etiam ex vitiis ac virtutibus, ex elementis ac cælestium orbium conuer-
 sionibus inter se discrepantibus, rerumq; omniū contagione & antipa-
 thia vinculo nunquā dissolubili colligatarum consensu, harmonia muni-
 di totius partiumque singularum concors existit. Res item publica bene
 constituta bonorum ac improborum ciuium, potentium ac tenuium,
 sapientium ac stultorum, robustorum ac imbecilium, medijs ordinibus
 vsquequaque interiectis, qui summos infimis, omnes omnibus coniu-
 gāt, mirabili ciuium vniuersorum discordi concordia coalescit: sic tamē
 vt bona malis sint vbique potentiora: vt mirabili prudentia sapientissi-
 mus ille rerum omnium opifex ac mundi procurator sempiterna lege
B lege sanxit. Et quemadmodum ipse incredibili quadam vi ac potestate
 præditus angelis imperat: sic etiam angeli hominibus, homines belluis,
 anima corpori, mas fœminæ, ratio cupiditati, & optimum quicque im-
 perandi potestate deteriora continet, vt omnia rectissimis ac legitimis
 imperiis colligatione quadam potestatum omnium coerceantur. Quod
 igitur vnitas est in numeris, mens in animæ facultatibus centrum in cir-
 culo: itidem in mundo rex ille potentissimus vnitate simplex, natura im-
 partibilis, puritate sanctissimus, supra cælestium orbium fabricam altis-
 simo interuallo remotus, spirabilem hanc regionem cum cælesti ac
 intelligibili copulans, mundum triplicem suauissimo concordie
 ac modulationis concentu admirabili colligatum, cura qua-
C dam secunda ab interitu seruat: cuius ad exemplar opti-
 mus quisque princeps, qui Rempublicam non
 modò saluam, sed etiam honestam ac
 beatam fore sperat, sese
 comparabit.

FINIS.

Lugduni, Impensis Jacobi du Puys.

